

inter homines misericorditer natum scirent. Cuius tñ
celebrationis. Thelesphorus Papa apud Romanos pri
mus author legitur extitisse. Nam quod in Naçaret
nutritus erat, ea causa fuit, ut q̄a Naçaret flos siue mñ
dicia interpretat̄. eterne puritatis eius index existeret,
cũ floret floris ipsius nutritrix, qui de uirga radice Iesse
ascendens, septiformem spiritum haberet, & perpetua
puritate insignis, merito Naçareus quod est mundus
uocaretur.

DE EPIPHANIA DOMINI. Ca. XXXII.

Epiphaniarum proinde festa solēnitati uiri apl̄ici
e signauerunt, quia in eo est proditus stella sal
uator, quando magi Christũ in presepe iacentē
adorauerunt eum, offerentes ei competentia munera
trinitatis, aurũ, thus, & myrrhã, regi deo atq; passuro,
Ideo ergo diem hunc annua celebritate sacrauerunt,
vt mundus agnoscat dominum, quem elem̄ta cęlitus
prodiderunt. Siquidem eodem die idem Hiesus etiam
Iordanis lauacro tingitur, diuisoq; cęlo spiritus sancti
descendentis testimonio, dei esse filius declarat̄. Cuius
diei nomen ex eo quod apparuit gentibus Epiphania
nuncupatur. *επιφανεια*. Epiphania enim grece, appa
ritio uel ostētio dicitur. Tribus ergo ex causis hic dies
hoc uocabulum sumpsit. Siue quod tunc in baptismo
suo Christus populis fuerit ostensus, siue quod ea die
sideris ortu magis est proditus, siue quod primo signo
per aquam in uinum conuersam, multis est manifesta
tus. Illud tamen sciendum, quod licet ea die baptismus
Christi ab Ioanne fieri credatur, uniuersale tamen ba
ptisma celebrari in ea, canonica cōtradicit autoritas,
Pasche ergo tempus tantũmodo & pētecostes ad hoc
ab apostolis & apostolicis uiris decretum, Romana cu
stodit ecclesia, quę uidelicet duo tempora ad hoc opor
tuna esse, Christi domini nostri a mortuis resurrectio,

& spiritus sancti super primitiuam ecclesiam declarat
aduentus. Quicumq; ergo (ait apostolus) baptizati su-
mus i Christo Hiesu, in morte ipsius baptizati sumus,
& reliqua. Et saluator ascensurus in celum, ap[osto]lis dixit,
Ioannes quidē baptizauit aqua, uos autē baptizabimini
spiritu sancto, non post multos hos dies.

DE PURIFICATIONE. Ca. XXXIII.

Purificatiōnis ergo matris domini tempus, post
p dies quadraginta a natiuitate eius celebratur,
quia ex legis p[re]cepto hoc tempus statutū est
parentibus fœminis, quo purificari deberent. Scriptū
est enim in libro Leuitico, quod dominus per Moysen
mandauerit Israhel, ut mulier quę in suscepto semine
pareret masculum, immunda esset septem diebus, &
die octaua circumcideret infantulus, ipsa uero triginta
quattuor diebus maneret in sanguine purificationis
sue, omne sanctum non tangeret, nec ingrederetur san-
ctuarium, donec implerentur dies purgationis eius.
Sin autem fœminam pareret, immunda esset duabus
ebdomadibus, & quadraginta ac tribus diebus maneret
in sanguine purificationis sue. Cumq; expleti essent
dies purgationis eius, pro filio siue pro filia, deferret
agnum anniculum in holocaustum, & pullum colūbe,
siue turturem pro peccato, quod si non potuerit agnū
offerre, sumeret duos turtures ul' duos pullos colūbe,
vnum in holocaustum, et alterū pro peccato, oraretq;
pro ea sacerdos, & sic mundaretur. Hac ergo de causa
statuta est in ecclesia festiuitas hec, quia matrem dñi se-
cundum legem in hac die constabat purgari, sed non
ideo, quod aliqua legali purgatione indiguerit, quæ
dominū gestabat legis, sed quia Hiesus non uenit legē
soluere, sed adimplere. Venit ergo mater domini ad
templum secundum legem, ducens secum puerum, ac